~~Erdoes~~
Erdo-
dy, con-
itu, e-
pisco-
po in
almam
Polono-
rum
Metro-
polim
ingres-
sus.
Varsav.
1720.

Wymiana od hr. Józefa Tyszkiewicza 1902



niim

Chrpt
Ossol.

n

Inny egz. niż. Estr. XV, 318

Reverendissimi

Illustrissimi & Excellentissimi

LADISLAI ADAMI

Comitis ERDOEDY

EPISCOPI NITRIENSIS

Sacræ Cæsar. Regiæq; Catholicæ Majestati

A

Sanctioribus Consiliis

Ad

Centuriata Regni Polonici Comitia

LEGATI CÆSAREI

In

Almam Polonorum Metropolim

INGRESSUS

Et

Admissionis

Ad Serenissimi Regis Alloquium

Relatio Historica.

Authore Gerardo Cornelio Drieschio.



Ad Exemplar Warschav. Excusum, Anno MDCCXX.





Um decretus noſter fuiſſet ad conſtitutum diem ſolennis, & publicus in Urbem Varſavienſem ingreſſus, ac ſingulis Proceribus, Legati juſſu, per Nobilitatem illius ſpeciliater ad hoc invitatis, qui foras quoqu e iſto die prodierunt magna pompa, per Supremum Coronæ Mareſchallum, ſive Enſiferum is ipſe indicatus, eſſentque in hunc finem ordinata omnia aliud ad extremum interceſſit, quæ iſtuc eo tempore impeditum dedit. Itaque expectandum fuit, iſtuc donec fieret. Sic caſu accidit, quod de induſtria factum multis credi poſſet, ut in VIII. D. Caroli, a feſta B. Martini luce, natione Hungari, Epiſcopi Turonenſis, Præſul itidem, & Epiſcopus Hungarus, Legatuſque ſimul Cæſareus ſolennem ſuum in Polonorum Metropolim ingreſſum celebraret. Pompæ totius ordo, ac ſeries hæc extitit. Eſt haud procul Varſavia hortus ſuburbanus Regius, una cum domo haud admodum magna ad Veris amœnitatem delineatus, nondum omni

ex parte perfectus, Mariæ Munda dicitur. Nobilis quædam Virago agnati nominis, æternis acta rationibus, prædium hoc quoddam ſuum cum modicis reditibus, neſcio cui, religioſæ familiæ teſtamento moriens legarat, ab hoc nomen hodieque retinet. Regi deinde placuit inſpecta loci commoditate, perſoluto æquali pretio, aſſignatoque alio pro habitatione, & cultura ſolo, hortum ibidem, & Venatoriam domum conſtruere. Huc primo diluculo ſigillatim omneis & promiſcue prodibant, qua via per noviſſimum ſuburbium ducit. Et quanquam Ujaſtdorpium alias ſit, unde Legati omneis prodeant, ob viarum tamen lutum, & non intermiſſas longo rempore pluvias, hic Regi, atque Aulæ locus viſus commodior fuit. Hora diei IX. vix ſonuerat, cum Orator ibi quoque comparet, rheda vulgari vectus, elegantioribus illis, & ad feſtivitatem hanc ordinatis iam ante præmiſſis. Aderant jam modo Poloni aliqui, qui ipſum præverterant. Veniebant ſubinde Principum, Archi-Epiſcoporum, Præſulum, Palatinorum, ceterorumque Senatorum, ac Procerum, nec non aliorum Legatorum nobiliores Miniſtri cum ephebis, & longo famulantium comitatu, qui Oratorem fictione quadam Juris publici jam ſolum advenientem, honoris cauſa adirent, Dominorum ſuorum verbis ſalutarent, ac promoventem poſtea ad Civitatis mœnia curribus ſuis, atque equitibus comitarentur, perque urbem in palatium ſuum deducerent. Perfrigida, nivoſaque tempeſtas, quæ inciderat, cum ſerena ipſo mane fuiſſet, nihil impediebat, quo minus ſejugorum, equitumque ingens numerus foris videretur, debitum ſalutationis officium Maximi Cæſaris, ut eorum verbis loquar, Magno Legato

per-

perſoluturus. Qua parte gradus in hortum ducunt, currus hi omneis conſiſtebant, quod ob difficilem aſcenſum, viaſque nondum complanatas procedere longius non valerent; ut neceſſe ſinguli habuerint pedites tecto ſuccedere. Tota domus referta conſpiciebatur Nobilibus Viris, ut Excellentiſſimum Oratorem, de cujus genere antiquiſſimo, ſpecioſo corporis habitu, promtitudine ad res magnas gerendas incomparabili, manſvetudine, humanitate, prudentia, munificentia, alacritate ſingulari multa per Poloniam acceperant, fama etiam pauciora, quam veritas ipſa volebat, ſparſerat, vel ſolum viderent; ſic operæ ſuæ pretium omne ponebant unicum Gratioſiſſimi Legati obtutum. In hoc ferre primas ſic quiſque laborabat, ut pene certarent, ſeſeque comprimerent. Auditi quinimo ſunt inter ipſos, qui longius excluſi ob multitudinem confertam, deſiderio demum, & patientia victi expoſtulando dicerent: quid facit hic apud nos, ſi ſe publico intueri illum geſtienti non oſtendat. In eo itaque horto poſtquam aliquot horarum moram duxiſſemus otioſi, adveniſſetque paulatim tempus ab Aula conſtitutum ingreſſus faciundi, prodit ab Rege miſſus, qui moris patrii, cerimoniarum, & dignitatum in Republica gnarus Purpuratorum currus in viam dirigat, & commonſtret, quo quemque ſtare loco, quo movere oporteat. Tum vero res ita componi non potuit, ut omnibus ſatisfieret. Pontificii Legati cum Coronæ Mareſchallo ſive Enſifero de primatu contendentis poſtulatio novæ diſſenſionis materiam præbuit. Miſerat uterque digniores e Nobilitate ſua, qui Oratorem conſalutarent, & Ducatum ſimul in urbem præſtarent, illi cum Oratoris currum, ac deinde Regium, an-

 teced^re

tecedere proxime cogitarent, & hi iſtuc prætenderent, juſſu Domini ſui, univerſam, ut ajebant, Rempublicam referentis, Oratore tantum ſalutato domum, unde venerant, redierunt multis jam ante, veluti prævidiſſent antiquam denuo litem ſuſcitandam, ſe excuſantes, ſi ejusmodi caſus accideret. Alii Comitatuum Præſides, hic Staroſtarum Nomine cogniti, eandem de primatu litem inter ſe moventes, deciſione non impetrata, quam ſperabant, recedere ſuos pariter currus juſſerant, quemadmodum etiam XXV. eorum, & his plures receſſerunt, ſic ſolis Senatorum, Miniſtrorum & aliorum Legatorum curribus ſejugis deducti in urbem ſumus. Horum numerabantur L. ut alii volunt omnino LVI. (Regius autem ad extremum tantum in via ſe junxit) Principium faciebat Lubomirski Oboſnienſis, extremo, ut dixi, loco is, qui Mareſchalli erat, cernebatur Oratorios antecedens. CCC. propemodum Nobiliſſimi currum proxime anteibant, qui honorarium iſtuc agmen cum ſuis claudebat. Tandem procedebat Orator cum comitatu parum hic alias viſo. Primi trahebantur ab equis generoſiſſimis, divite ornatu inſtructis, hoc eſt, armatura inauratis fibulis gravi, loris aureis filis interſtinctis, pendentibusque regalibus e capite faſciis, tres ſplendidiſſimi Oratorii currus; his pretium addebant ſtatuaria, coronariaque opera, nobili metallo obducta, intus heteromallum, viola vel murice tinctum, aureis limbis ſuperne, inferne, undequaque circumdatum plus prope in umbellis certe, rhedariique ſedibus, ut auri videretur, quam holoſerici. Vitra puriſſima Veneta ſplendorem augebant, & lucem. Gentilitia Oratoris arma appicta omni ex parte legebantur. Curribus his tribus vehebantur

Nobilis

Nobiles aliquot, Sacerdotes, domeſtici Oratoris Miniſtri. E poſterioribus inſtabant alii equites, numero XVIII. decoris veſtibus, ac phaleris conſpicui. Proximi ibant Nobiles iterum aliqui, nec non Excellentiſſimi Legati Medicus, & ipſi equites, aureo, argenteoque inſtructu inſignes. Sequebatur famulantium turba pedes, numero XIV. rubro veſtitu argenteis lemniſcis viola mixtis renitentes. Latus gladius argenteo manubrio pretioſus, caput pileus ſimili limbo incinctus, adhærentesque nodo tæniæ albæ, cæruleæque ornabant. Præcedebant curſores duo, levi, at holoſerico rubro, argenteoque veſtitu diſtincti, ingentes caduceos manibus præferentes, quos prægrandes globi argentei, Legati inſignibus notati, armabant. Traverſa corpus faſcia ſerica cærulea cingebat, eiusdem coloris tibialibus pedes, levibuſque plantæ calceis ſtringebantur. Vittæ caput breves ambibant, unde antiquiſſima ERDÖDIANÆ Gentis arma auro, argentoque, diſcriminata cum Sacerdotali, hoc eſt Epiſcopali pileo, defluentibus VI. latere ex utroque faſciis, emicabant. Denique ſublimi in curru conſpiciebatur Excellentiſſimus Orator ipſe. Currus non alter huic ſimilis erat, credi poterat Statuaria certaſſe cum Pictura, quæ pretium ferret. Equi ex badio nigricantes, ferociter exſultantes, ignipedes, corio, loris, faſciis, fibulis, auro, toto inſtructu ſuperbi, ſcire videbantur, quem portarent. Germanus ex heteromallo amictus niger, eiusdemque operæ pallium corpus, annulus adamante refulgens digitum, pectus crux pallidis carbunculis rara, nuper admodum ab Auguſtiſſima Imperatrice, dum Poſonii coronaretur, ipſius meritis data, caput galerus, viridi loro, auro intertexto,

ob-

obvolutus, veneranda Excellentissimum Virum facies, svavitate mixta magis, quam cetera ornamenta omnia, ut ut insignia distingvebant. Ad latus obequitabat supremus stabuli Magister, vestitu pretioso Hungarico cæruleo, auratisque phaleris a ceteris discretus. Satellitum loco circumfundebatur currus a VI. exquisitæ magnitudinis ex armentariis militibus, quos Heidones Hungari nominant. Braccatam hanc, ocreatamque gentem ruber brevior ad lumbos thorax, Oratoris tessera, hoc est limbis e viola argenteis, descriptus, pallium oblongum rubrum itidem argento dives exornabat. Gladiorum vaginæ, & manubria argento contecta, alta capitis tegmina e panno nigro argenteis limbis circumdata, albis, cæruleis, rubris struthionum plumis permiste decorata, turris in morem erecta majorem his stipatoribus splendorem conciliabant. Ad scamillum rhedæ scansorium ibat e famulis Senior, Oratoria & ipse tessera notus. Agmen universum claudebant ephebi VI. equites, partim suæ gentis proprio, partim Germanico cultu induti. Color omnibus idem, similes in equis phaleræ rubræ argento relucentes. Illos, quos Hungarica magis vestis delectabat, suffulta candidis pellibus pallia, nigris maculis distincta, condecorabant. Hoc ordine processum ad modicum spatii fuit, cum ecce Regio in curru equis VI. nigris tracto, IV. satellitibus VI. famulis Regiam tesseram, flavam, albam viola intermixtam ferentibus stipatus Oratori occurrit Episcopus Chelmensis, Fredro nomine, magni illius Fredri in Republica literaria notissimi, Agnatus, Sacerdotali habitu, hoc est, toga violacea ad pedes defluente, rubro assuto, & chlamyde breviori, pellibus martis

Zibelinæ

Zibelinæ ſuffulta indutus, a Sereniſſimo Rege ad hanc functionem delectus. Ut primum ſe mutuo conſpexere e rheda quiſque ſua, quanquam Orator non nihil tardius, deſcendunt, ſeſeque conſalutant, mox Chelmenſis Regiis Oratorem verbis alloquens felicem in has terras, & Imperii Polonici metropolim adventum gratulatur, cui Orator gratias agens de hoc officioſæ ſalutationis munere ſibi præſtito, brevibus, ſed aptis in rem præſentem verbis reſpondet. Invitat eundem deinde Chelmenſis ad conſcendendum currum Regium, quem continuo etiam aſcendit, ubi Chelmenſem obverſum habuit. Regii ſatellites, famulique currum ſtipabant, ſicuti ante, Oratorii præcedebant; ex hoc Legati currus ibant ordine jam plane inverſo, ſic, ut qui primi antea fuerant, nunc poſteriores efficerentur. Media via in armis ſtabat Prætorianus pedes, qui Oratorem adventantem exciperet. Plateæ per quas incedebamus, luto repurgatæ conſpiciebantur a ſuperiori die, opera centenarum feminarum aliquot. Suburbia, & viæ omneis, ipſæque domuum feneſtræ, & tecta ſic repleta multitudine erant, ut civitatem extra pomoeria confluxiſſe, novaſque receptas in Urbem colonias crediḋiſſes intra duas portas decumanas ſuburbii noviſſimi, explicato Ordinis Polonici ſigno, cruce cærulea, rubicundo in campo excubabant Bacholcki, Polonus miles. Portarum ipſarum pavimentum lapideum ſubducere neceſſe fuerat, ut locum ſatis amplum, per quem tranſirent, Oratorii currus haberent. Eo ordine per hanc, quam dixi, portam, Civitatis medium, forum urbicum, fanum D. Joannis, & Aulam Regiam, unde Rex ipſe per feneſtram proſpiciebat, excubitor miles ſub armis ambulabat; prætervecti,

 elati

elati per Cracovienſem portam propter ſtatuam Caſimiri Regis, Cracovienſe in palatium, manſionem noſtram per diſpoſitos gemino verſu equites ferebamur. Deduxit Excellentiſſimum Oratorem in anterius cubile ſuum; in quo Auguſtiſſimi Cæſaris effigies ſub umbella holoſerica rubra, aureis lemniſcis relucente, poſita exſtabat, Reverendiſſimus Chelmenſis, ille viciſſim hunc, actis gratiis ad rhedam ſuam comitatus dimiſit. Sed invitatus ab Oratore, brevi revertens, prandium apud eundem ſumpſit cum aliis non nullis. Poſtero die qui incidebat, in XII. ejusdem menſis ad Sereniſſimi Regis alloquium vocabatur excellentiſſimus Orator per Abbatem Szaniawski Regno a ſecretis, Excellentiſſimi, & Reverendiſſimi Epiſcopi Cracovienſis Fratrem, qui Oratoriam in domum a Rege ad hoc mittebatur, ut deduceret. Idem ordo erat qui heri poſt occurſum, idem currus Oratorii, iidem comites, eadem rheda, iidem equi Regii, iidem ſatellites, & famuli, niſi quod ephebi duo; qui heſterna luce aberant, jam jungerentur. Diverſa Oratorem veſtis ex heteromallo oblonga opere coronario rara, pallium item oblongum purpureum, roſeo ſubtexto nitens, exornabat. XV. iterum rhedæ Senatoriæ eodem præcedebant. In atrium palatii ubi deventum eſſet, e Legione Prætoriana pedite cohortes aliquot in armis videbantur vexillis paſſis Oratorem militari more ſalutantes; per gradus, ad quos eundem excipiebant de rheda deſcendentem e Nobilitate duo, verſum duplicem faciebant Bacholcki, inſertis in manuales machinas ſiccis obſervantiam Legato Cæſareo teſtantes: Per Conclave Senatorium idem præſtabat Prætoriana e legione glandium miſſilium jaculatorum Princeps centuria

turia, aquilas albas, hoc eſt, argenteas cum Sereniſſimæ Domus Saxonicæ inſignibus acu eleganter pictis, auro, & coloribus varie diſtinctis, in capite portans, in anteriori proximo conclavi, ad cujus januam M. Ducatus Lithvaniæ Succamerarius, ſive Cubiculariorum Regiorum in ea provincia Supremus, Comes Denhoffius, loco Succamerarii Coronæ, Principis Lubomirſki, qui ob imbecillitatem corporis aberat, Oratori prodibat cum Cubiculariis variis Regiis, pedeſtris cohors, eadem arma in baltheo oſtentans, in ſecundo Nobiles equites veſtibus rubris, argento opere Phrygio textis, cæruleo aſſuto, venientem Oratorem militari inſtituto venerabantur. Tam referta autem erat in tertio Polonicæ Nobilitatis multitudo, ad videndum Legatum, & has cerimonias confluens, ut vix eluctari daretur. Hic depictæ per parietes marmore contectos videbantur Regiæ Matronæ, Principes feminæ cum Serenisſimis Regibus aliquot, qui huic olim Imperio præfuerant. Inde in novisſimum ibatur, ubi Excellentisſimo Legato vix ingreſſo magnus Coronæ Poloniæ, & bini alii minores Enſiferi, ſive Mareſchalli ad medium cubiculi obviam procedebant, clavas ebeni e ligno fabricatas, gemmis, & unionibus diſtinctas dextera geſtantes. In eo Purpuratorum, & Miniſtrorum ſelectisſimus flos conſpiciebatur. Terni Mareſchalli Legatum ad oſtium cubiculi, in quo admittendus ad alloquium erat, deducebant, valviſque apertis ſolum cum Rege ſolo, non, ut Schafgotziana relatio memorat, Senatoribus circumfuſo, relinquebant. Alba Regem chlamys in ſolio ſtantem circumdabat, appictis in læva Regii Ordinariis inſignibus, caput tectus Oratorem quoque ſtantem atque tectum audiebat. Tum

Orator breviter itineris sui rationem, & Augustissimi Cæsaris sanctissima, & integerrima pro Serenissimo Rege, & Illustrissima Republica consilia, sinceram ad utrosque amicitiam, optimam, Constantissimamque, voluntatem, atque animum, adversus Serenitatem suam vere Cognatum, Fraternumque explicabat; Rex vicissim suæ erga Augustissimum Imperatorem & Serenissimam Domum Austriacam venerationis, amoris, fidei, constantiæ testimonium securissimum dabat. Ad extremum literas Augustissimi mandatis fidem adstruentes Serenissimo Regi Orator in manus consignabat, seque commendans Regiæ benevolentiæ, & favoribus priorem viam, priore ordine, priore Comite, prioribus ceremoniis relegabat; hoc solum excepto, quod in reditu X. Senatorii currus ægre per confertam multitudinem, & impletum rhedis atrium explicari potuerint, qui nos comitarentur; cum in accessu parte dimidia plures sint numerati. Exin non deserebat Legatum citius admissionum Minister, quam eundem in palatium ad interius cubile suum reduxisset. Orator gratias agens de labore, & humanitate hac insignita, ipsum pariter ad rhedam est prosecutus, itaque finem huic solennem posuit.





